DIEI NATALIS

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI II

IMPERATORIS REGIS

FAUSTISSIMA SOLLEMNIA

QUORUM LAETITIAM ORATIO

A PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

ALFREDO SCHOENE

HABENDA INTERPRETABITUR

DIE XXVII MENSIS IANUARII ANNI MDCCCLXXXXV

IN MAGNA AULA HORA I POST MERIDIEM CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET CONSISTORIUM ACADEMICUM

UNIVERSITATIS CHRISTIANAE ALBERTINAE KILIENSIS.

INEST

IVO BRUNS *DE XENOPHONTIS AGESILAI CAPITE UNDECIMO.*

KILIAE.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA
EX OFFICINA SCHMIDTII ET KLAUNIGII
1895.

2 47

1895.

DIEI NATALIS

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI II

IMPERATORIS REGIS

FAUSTISSIMA SOLLEMNIA

QUORUM LAETITIAM ORATIO

A PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

ALFREDO SCHOENE

HABENDA INTERPRETABITUR

DIE XXVII MENSIS IANUARII ANNI MDCCCLXXXXV

IN MAGNA AULA HORA I POST MERIDIEM CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET CONSISTORIUM ACADEMICUM

UNIVERSITATIS CHRISTIANAE ALBERTINAE KILIENSIS.

INEST

IVO BRUNS *DE XENOPHONTIS AGESILAI CAPITE UNDECIMO.*

KILIAE.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA
EX OFFICINA SCHMIDTII ET KLAUNIGII
1895.

Notum est acerbissime hodie iudicari saepenumero de Xenophontis scriptis haud paucis: quae quia parum placere videntur urbanitati huius saeculi atque elegantiae aut omnino non esse Xenophontis proclamant critici aut ex parte saltem interpolatorum fraude misere esse depravata. Quod fatum Agesilai quoque laudationem non effugisse commode cognoscet si quis doctae disputationis, quam anno 1883 de Agesilao conscripsit M. Evers, perlegerit caput prius, ubi virorum doctorum de Xenophonteo Agesilao iudicia enumerantur.

Unde perspicitur originis Xenophonteae inter recentiores, qui accuratius rem tractavere, extitisse perpaucos defensores, plerosque totum libellum pseudepigraphum censere et vel eos, qui minus severe iudicaverint, eo tamen consentire, ut caput undecimum damnandum esse censeant, quod aut a Xenophonte scriptum aut sic ab eo editum esse negant.

Atque nolo equidem hoc loco singulorum criticorum iudicia recensere, neque enim mihi proposui ut totam Agesilai laudationem pertractarem. Sed hoc velim absolvere, quod mihi neglexisse videntur viri docti, ut accuratius conclamatum illud caput extremum XI interpreter; unde spero etiam de reliquis libelli partibus aliquantulum fore ut lucremur.

I.

Atque primum caput undecimum vel ei, qui a Xenophonte scriptum esse concedunt, rudem esse atque indigestam molem quasi uno ore declamant. Audias Heilandium (praef. p. XX): „nullum in hoc capite apparet esse ordinem, nullam sententiarum convenientiam“ et Breitenbachium (praef. ed. p. V): „male inter se cohaerere haec omnia et perperam esse ordinata facile intelligitur.“ Hagenus vero (diss. Bern. 1863) vel „sutorem“ increpat eum, qui stulte hoc caput compilaverit. Similiter Terwelpius (diss. Muenst. 1873) alii.

Quod si verum esset, res esset sane mirifica. Talis enim est sententiarum in cap. XI collectarum expolitio, qualem in hypomnematis sive in schedis privato usui destinatis nemo adhibet. Itaque ipsa hac subtilitate atque industria, qua singula limaverit, cogimur ut intentius quaeramus, nonne aliquod lateat etiam in compositione illarum sententiarum scriptoris consilium.

Quod consilium ut commodius demonstrare possim legentibus, verba ipsa proponam in eas partes discripta, in quas ipse Xenophon mihi videtur hoc de Agesilai moribus iudicium distribuisse.

Pars prima.

I. *Ἀγησίλαος ἱερὰ μὲν καὶ τὰ ἐν τοῖς πολεμίοις ἐσέβετο, ἡγούμενος τοὺς θεοὺς οὐχ ἧττον ἐν τῇ πολεμίᾳ χρῆναι ἢ ἐν τῇ φιλίᾳ συμμάχους ποιεῖσθαι* II. *ἱκέτας δὲ θεῶν οὐδὲ ἐχθροὺς ἐβιάζετο, νομίζων ἄλογον εἶναι τοὺς μὲν ἐξ ἱερῶν κλέπτοντας ἱεροσύλους καλεῖν, τοὺς δὲ βωμῶν ἱκέτας ἀποσπῶντας εὐσεβεῖς ἡγεῖσθαι.* III. *ἐκεῖνός γε μὴν ὑμνῶν οὔποτ' ἔληγεν, ὡς τοὺς θεοὺς οἴοιτο οὐδὲν ἧττον ὁσίοις ἔργοις ἢ ἁγνοῖς ἱεροῖς ἥδεσθαι.* IV. *ἀλλὰ μὴν καὶ ὁπότε εὐτυχοίη, οὐκ ἀνθρώπων ὑπερεφρόνει, ἀλλὰ θεοῖς χάριν ᾔδει.* V. *καὶ θαρρῶν πλείονα ἔθυεν ἢ ὀκνῶν ηὔχετο.* VI. *εἴθιστο δὲ φοβούμενος μὲν ἱλαρὸς φαίνεσθαι, εὐτυχῶν δὲ πρᾷος εἶναι.*

Pars altera.

VII. *τῶν γε μὴν φίλων οὐ τοὺς δυνατωτάτους, ἀλλὰ τοὺς προθυμοτάτους μάλιστα ἠσπάζετο.* VIII. *ἐμίσει δὲ οὐκ εἴ τις κακῶς πάσχων ἠμύνετο, ἀλλ' εἴ τις εὐεργετούμενος ἀχάριστος φαίνοιτο.* IX[1]. *ἔχαιρε δὲ τοὺς μὲν αἰσχροκερδεῖς πένητας ὁρῶν, τοὺς δὲ δικαίους πλουσίους ποιῶν,* (IX[2]) *βουλόμενος τὴν δικαιοσύνην τῆς ἀδικίας κερδαλεωτέραν καθιστάναι.* X. *ἤσκει δὲ ἐξομιλεῖν μὲν παντοδαποῖς, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἀγαθοῖς.* XI. *ὁπότε δὲ ψεγόντων ἢ ἐπαινούντων τινὰς ἀκούοι, οὐχ ἧττον ᾤετο καταμανθάνειν τοὺς τῶν λεγόντων τρόπους ἢ περὶ ὧν λέγοιεν.* XII[1]. *καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ φίλων ἐξαπατωμένους οὐκ ἔψεγε, τοὺς δὲ ὑπὸ πολεμίων πάμπαν κατεμέμφετο* (XII[2]) *καὶ τὸ μὲν ἀπιστοῦντας ἐξαπατᾶν σοφὸν ἔκρινε, τὸ δὲ πιστεύοντας ἀνόσιον.* XIII. *ἐπαινούμενος δὲ ἔχαιρεν ὑπὸ τῶν καὶ ψέγειν ἐθελόντων τὰ μὴ ἀρεστὰ καὶ τῶν παρρησιαζομένων οὐδένα ἤχθραινε, τοὺς δὲ κρυψίνους ὥσπερ ἐνέδρας ἐφυλάττετο.* XIV[1]. *τούς γε μὴν διαβόλους μᾶλλον ἢ τοὺς κλέπτας ἐμίσει,* (XIV[2]) *μείζω ζημίαν ἡγούμενος φίλων ἢ χρημάτων στερίσκεσθαι.* XV[1]. *καὶ τὰς μὲν τῶν ἰδιωτῶν ἁμαρτίας πρᾴως ἔφερε, τὰς δὲ τῶν ἀρχόντων μεγάλας ἦγε,* (XV[2]) *κρίνων τοὺς μὲν ὀλίγα, τοὺς δὲ πολλὰ κακῶς διατιθέναι.* XVI. *τῇ δὲ βασιλείᾳ προσήκειν ἐνόμιζεν οὐ ῥᾳδιουργίαν, ἀλλὰ καλοκἀγαθίαν.*

Pars tertia.

A. XVII[1]. *καὶ τοῦ μὲν σώματος εἰκόνα στήσασθαι ἀπέσχετο πολλῶν αὐτῷ τοῦτο δωρεῖσθαι θελόντων, τῆς δὲ ψυχῆς οὐδέποτε ἐπαύετο μνημεῖα διαπονούμενος,* (XVII[2]) *ἡγούμενος τὸ μὲν ἀνδριαντοποιῶν, τὸ δὲ αὑτοῦ ἔργον εἶναι* (XVII[3]) *καὶ τὸ μὲν πλουσίων, τὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν.* XVIII[1]. *χρήμασί γε μὴν οὐ μόνον δικαίως, ἀλλὰ καὶ ἐλευθερίως ἐχρῆτο,* (XVIII[2]) *τῷ μὲν δικαίῳ ἀρκεῖν ἡγούμενος τὸ ἐᾶν τὰ ἀλλότρια, τῷ δὲ ἐλευθερίῳ καὶ τῶν ἑαυτοῦ προσωφελητέον εἶναι.* XIX. *ἀεὶ δὲ δεισιδαίμων ἦν, νομίζων τοὺς μὲν καλῶς ζῶντας οὔπω εὐδαίμονας, τοὺς δὲ εὐκλεῶς τετελευτηκότας ἤδη μακαρίους.* XX. *μείζω δὲ συμφορὰν ἔκρινε τὸ γιγνώσκοντα ἢ ἀγνοοῦντα ἀμελεῖν τῶν ἀγαθῶν.* XXI. *δόξης δὲ οὐδεμιᾶς ἤρα, ἧς οὐκ ἐξεπόνει*

τὰ ἴδια. XXII [1]. *μετ' ὀλίγων δέ μοι ἐδόκει ἀνθρώπων οὐ καρτερίαν τὴν ἀρετήν, ἀλλ' εὐπάθειαν νομίζειν·* (XXII [2]) *ἐπαινούμενος γοῦν ἔχαιρε μᾶλλον ἢ χρήματα κτώμενος. B.* XXIII [1]. *ἀλλὰ μὴν ἀνδρείαν γε τὸ πλέον μετ' εὐβουλίας, ἢ μετὰ κινδύνων ἐπεδείκνυτο* (XXIII [2]) *καὶ σοφίαν ἔργῳ μᾶλλον ἢ λόγοις ἤσκει* XXIV [1]. *πρᾳότατός γε μὴν φίλοις ὢν ἐχθροῖς φοβερώτατος ἦν* (XXIV [2]) *καὶ πόνοις μάλιστα ἀντέχων ἑταίροις ἥδιστα ὑπεῖκε,* (XXIV [3]) *καλῶν ἔργων μᾶλλον ἢ τῶν καλῶν σωμάτων † ἐπιθυμῶν.* XXV. *ἔν γε μὴν ταῖς εὐπραξίαις σωφρονεῖν ἐπιστάμενος ἐν τοῖς δεινοῖς εὐθαρσὴς ἐδύνατο εἶναι.*

Pars quarta.

XXVI [1]. *καὶ τὸ εὔχαρι οὐ σκώμμασιν, ἀλλὰ τρόπῳ ἐπετήδευε* (XXVI [2]) *καὶ τῷ μεγαλόφρονι οὐ σὺν ὕβρει, ἀλλὰ σὺν γνώμῃ ἐχρῆτο·* (XXVI [3]) *τῶν γοῦν ὑπεραύχων καταφρονῶν τῶν μετρίων ταπεινότερος ἦν.* XXVII [1]. *καὶ γὰρ ἐκαλλωπίζετο τῇ μὲν ἀμφὶ τὸ σῶμα φαυλότητι, τῷ δ' ἀμφὶ τὸ στράτευμα κόσμῳ,* (XXVII [2]) *τῷ δ' αὐτὸς μὲν ὡς ἐλαχίστων δεῖσθαι, τοὺς δὲ φίλους ὡς πλεῖστα ὠφελεῖν.* XXVIII [1]. *πρὸς δὲ τούτοις βαρύτατος μὲν ἀνταγωνιστὴς ἦν, κουφότατος δὲ κρατήσας,* (XXVIII [2]) *ἐχθροῖς μὲν δυσεξαπάτητος, φίλοις δὲ εὐπαραπειστότατος.* XXIX. *ἀεὶ δὲ τιθεὶς τὰ τῶν φίλων ἀσφαλῶς ἀεὶ ἀμαυροῦν τὰ τῶν πολεμίων ἔργον εἶχεν.* XXX. *ἐκεῖνον οἱ μὲν συγγενεῖς φιλοκηδεμόνα ἐκάλουν, οἱ δὲ χρώμενοι ἀπροφάσιστον, οἱ δ' ὑπουργήσαντές τι μνήμονα, οἱ δ' ἀδικούμενοι ἐπίκουρον, οἵ γε μὴν συγκινδυνεύοντες μετὰ θεοὺς σωτῆρα.*

Conclusio.

δοκεῖ δὲ ἔμοιγε καὶ τόδε μόνος ἀνθρώπων ἐπιδεῖξαι, ὅτι ἡ μὲν τοῦ σώματος ἰσχὺς γηράσκει, ἡ δὲ τῆς ψυχῆς ῥώμη τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἀγήρατός ἐστιν. ἐκεῖνος γοῦν οὐκ ἀπεῖπε μεγάλην καὶ καλὴν ἐφιέμενος δόξαν, εἰ καὶ μὴ τὸ σῶμα φέρειν ἠδύνατο τὴν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ῥώμην. τοιγαροῦν ποίας οὐ νεότητος κρεῖττον τὸ ἐκείνου γῆρας ἐφάνη; τίς μὲν γὰρ τοῖς ἐχθροῖς ἀκμάζων οὕτω φοβερὸς ἦν ὡς Ἀγησίλαος τὸ μήκιστον τοῦ αἰῶνος ἔχων; τίνος δ' ἐκποδὼν γενομένου μᾶλλον ἥσθησαν οἱ πολέμιοι ἢ Ἀγησιλάου καίπερ γηραιοῦ τελευτήσαντος; τίς δὲ συμμάχοις θάρρος παρέσχεν, ὅσον Ἀγησίλαος καίπερ ἤδη πρὸς τῷ στόματι τοῦ βίου ὤν; τίνα δὲ νέον οἱ φίλοι πλέον ἐπόθησαν ἢ Ἀγησίλαον γηραιὸν ἀποθανόντα; οὕτω δὲ τελέως ὁ ἀνὴρ τῇ πατρίδι ὠφέλιμος ὢν διεγένετο, ὡς καὶ τετελευτηκὼς ἤδη ἔτι μεγαλείως ὠφελῶν τὴν πόλιν εἰς τὴν ἀΐδιον οἴκησιν κατηγάγετο, μνημεῖα μὲν τῆς ἑαυτοῦ ἀρετῆς ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν κτησάμενος, τῆς δὲ βασιλικῆς ταφῆς ἐν τῇ πατρίδι τυχών.

Primam partem mecum circumscribendam esse vix negabitur. Nam enuntiata I—V et apte et arte inter se cohaerere patet. Itaque agit Xenophon in prima parte de Agesilao pie deos colente. Accedit autem ei etiam VI sententia, licet deorum non faciat mentionem. Nam ne videatur Agesilaus vituperari verbo *ὀκνῶν* (V) consentaneum erat addere „vel adversa

fortuna fuisse eum hilarem, secunda tranquillum." Cuius enuntiati si cui alterum membrum videtur abundare, is reputet per totam hanc expositionem legem sibi imposuisse Xenophontem, ut singula axiomata in binas partes secaret.

Etiam alterius partis (VII—XVI) membra non casu coaluisse, sed ratione composita esse ei non erit dubium, qui in omnibus de eadem re agi animum adverterit. Nam ubique exponitur quomodo Agesilaus hominibus, quibuscum vixit, et usus sit et quomodo de eis iudicaverit. Haec enim dicit Xenophon: amicorum favebat non potentissimis, sed officiosissimo cuique, oderat ingratos, iustos ditiores reddebat. Cum omnis generis hominibus commercium habebat, sed bonis tantum familiariter utebatur. Alios vituperantibus aures praebebat, non solum, ut de eis doceretur, quos improbassent, sed quo vituperantium mores melius cognosceret. Laudabat eos, qui se ab amicis falli passi erant, hostes ut astutia superemus postulans. Amabat libere pronuntiantes quid sentirent, calumniatores magis quam fures detestans. Privatis si quid deliquerant lenis erat, severus contra magistratus peccantes.

Nonne haec omnia ad unum aperte finem directa sunt? Argumento autem differt extrema sententia XVI, quam tamen huic parti addere non dubitavi. Cohaeret enim cum XV, ut cum quinta sexta. Nam quia Xenophon de discrimine dixerat, quod inter regnantes et privatos intercederet, proclive erat addere: „a principatu abesse debere levitatem, sed virtute eum oportere munitum esse". Poterat autem utramque sententiam, et VI et XVI, particula γάρ inducere, quod quominus faceret impeditus est dicendi genere, quo usus est, aequabili, de quo postea disputabitur.

Sequitur inde a XVII tertia pars, quae ipsa bipertita est et finitur post XXV.

In cuius initio hoc positum est, continuo studuisse Agesilaum, ut animi documenta relinqueret ea ductum opinione has unas reliquias ipsius esse. Atque opiniones continentur etiam XIX—XXII, in quibus hac leguntur: neminem nisi peracta vita felicem posse praedicari putabat, atque in hac potissimum opinione pietas regis posita erat. Gravius censebat eos peccare qui bonum noverint, quam qui ignoraverint. Gloriam non amabat nisi eam, quam laboribus ipse sibi paraverat. Cum paucis opinabatur veram voluptatem in laborum perpessione inesse. Et ne XVIII quidem differt. Nam etsi χρῆσθαι verbum actionis est, tamen hoc loco non singula facta respiciuntur, sed explicatur consuetudo hominis, qui putabat sibi, ut regi, in administranda re familiari non solum iustitia sed liberalitate utendum esse.

Itaque ut altera pars capitis Agesilai de hominibus iudicia eorumque usum comprehendit, ita tertiae prior particula (XVII—XXII) philosophiam eius legesque continet, quibus se ipse constrinxerit. Aptissime autem, postquam dixit quid de virtute censuerit, secunda particula (XXIII—XXV) pergit explicare, quomodo ad vitam eam applicuerit. Neque cur hac de re brevior fuerit, causa latebit observantes in omni hac disputatione hanc legem sequi Xenophontem, ne exempla ex historia ducta admisceat. Mores enim quam brevissime describit, non narrat. Quare, cum homines virtutem qua praediti sunt diversa ratione ad vitam atque

officia adplicare possint. Agesilaum Xenophon hoc loco in universum tantum praedicat fortitudinem periculis non quaerendis sed prudenter evitandis, sapientiam autem non philosophorum more declamando, sed rebus gerendis exhibuisse (XXIII). Praeterea hoc addit: Quidquid agebat rex, id ita persequebatur, ut erga amicos mitissimus esset, cum metueretur ab inimicis, et, dum omnes molestias ipse suscipit, sociorum commodo religiosissime prospiceret[1]) (XXIV1—2). Fortunae beneficia modeste ferebat neque in periculis animum despondebat (XXV).

Atque verum est in fine primae partis (VII) sententiam legi, quae argumento magnopere congruit cum extrema tertiae (XXV). Sed quo iure vetabimus scriptorem idem bis dicere, si repetitionis causa aperta est? Iure enim modestia atque aequanimitas regis et eo loco laudatur, ubi de pietate eius disputatur, qui humana fata ad deos immortales solebat referre, et eo, quo virtutis innatae specimina exponuntur.

Sequitur extrema pars quarta (XXVI—XXX). In hac enim comprehendit ea, quibus et imago Agesilai quam vividissima exsurgat in mentibus legentium et intellegatur, cur memoriam regis tanto studio coluerint aequales. Quare primum humanitatem eius quasi in ore nostro et conspectu ponit: comitatem laudat non iocis simulatam, sed moribus expressam gravitatemque superbia carentem (XXVI). Transit ad victus simplicitatem, qua is iure gloriabatur, qui, ut amicorum fortunas et rem patriae militarem augeret intentis nitebatur viribus (XXVII). Pergit secundum varias vitae vicissitudines eum depingere: gravissimus erat in certamine adversarius, sed mitis victor, paratissimus contra inimicorum insidias, sed amicorum voluntati libentissime indulgens (XXVIII). Quod firmatur sequente sententia: non desiit suorum res stabilire, extenuare hostium (XXIX). Finem autem huic parti imposuit scriptor relatis aliorum de Agesilao iudiciis: Familiaribus audiebat φιλοκηδεμών (is qui cognatos amat), eis, quibuscum negotia ei intercedebant, ἀπροφάσιστος (is qui promissis stat neque praetextus quaerit), eis, quibus, ut officium Agesilao praestarent, contigerat, μνήμων (i. e. gratus), iniuriam passis ἐπίκουρος (patronus), eis qui cum illo periculum susceperant, μετὰ θεοὺς σωτήρ (i. e. summus exceptis dis adiutor).

Videmus igitur hac via procedere Xenophontem, ut postquam prima parte de Agesilao dixit deos colente, secunda de iudicante homines, tertia de eodem virtutes sano iudicio ponderante et ad usum vitamque sincere adplicante, quarta exponat, qualis hic vir aequalibus visus posterisque colendus sit.

Ad finem autem pervenimus atque incipit peroratio. Quod pluribus de causis apertum est. Primum, quia tricesima sententia contra morem, quem in praecedentibus secutus est omnibus, non bipertita est, sed in quinque partes distributa, ut vel externa specie hic quasi colophona prioribus imponi eluceat. Eodem autem modo Isocrates antithesim ultimam distinxit in Euagorae capite 19 (cf. p. 13). Deinde, quia sequentes paragraphi et argumento

[1]) XXIV3 aut ego non intellego aut corruptum est σωμάτων.

et forma diversae sunt. Forma differunt: nam antithesibus non utuntur. Argumento: nam agitur in eis non de universa Agesilai natura atque vita, sed de animi corporisque vigore, quo vel extrema senectute conspicuus erat.

Sed etsi differunt, non aliena sunt a prioribus. Immo aptissime haec de senectute Agesilai declamatio liberius evagans velut epilogus claudit tetralogiam praecedentem secundum severioris artis leges expolitam.

Sententiam, quam protuli, eo puto maxime confirmari quod, eam si amplectimur, repetitionum vitia, quae videntur vexavisse viros doctos, prorsus excusantur. Qua de re conferas primum ea, quae dixi p. 7 vers. 8 sq. Atque tribus prioribus partibus spero assensuros esse plerosque, dubitabunt fortasse de quarta. Qua re affinitas velim examinetur, quae intercedit inter XXIV et XXVIII[2] — XXIX. Offenderent haec sane, si eodem consilio et in una sensus compagine prolata essent. Contra si graviorem orationis incisionem inter XXV et XXVI esse statuerimus, nihil erit quod vituperemus. Tum enim illa sententia (XXIV) eius partis est, in qua qualis fuerit Agesilaus adversus hostes amicosve explicatur ex ipsius de virtute opinatibus. Idem autem non potuit non iterum commemorare scriptor, ubi memoriae Agesilai efficacissima repraesentaturus erat lineamenta: habes originem sententiarum XXVIII[2]—XXIX. Et intellegitur una, cur id, quod illo loco breviter tetigerat, hoc explicatius descripserit. Neque iam offendet, quod et in prima parte et in tertiae sententia XIX commemoratur pietas Agesilai. Illa enim, quomodo coluerit deos exponitur, in XIX autem sententia tertiae partis pietas illa ad certam refertur opinionem; agitur enim hic de philosophia regis. Optime denique videbis, quae sit harum partium condicio, si verba *ἐχθροῖς μὲν δυσεξαπάτητος, φίλοις δὲ εὐπαραπειστότατος* (XXVIII[2]) confers cum his: *καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ φίλων ἐξαπατωμένους οὐκ ἔψεγε, τοὺς δὲ ὑπὸ πολεμίων πάμπαν κατεμέμφετο καὶ τὸ μὲν ἀπιστοῦντας ἐξαπατᾶν σοφὸν ἔκρινε, τὸ δὲ πιστεύοντας ἀνόσιον* (XII[1]). Apertum enim est etiam hic agi de eadem re, de qua dicitur et XXIV et XXVIII[2]. Sed leguntur haec verba in ea parte, quae est de Agesilao homines iudicante; qua re hoc loco ea utitur forma scriptor, ut ipsius Agesilai ratiocinationem exprimat. Nimirum erat Agesilaus *ἐχθροῖς δυσεξαπάτητος, φίλοις δὲ εὐπαραπειστότατος,* quia *τοὺς ὑπὸ φίλων ἐξαπατωμένους οὐκ ἔψεγε, τοὺς δὲ ὑπο πολεμίων πάμπαν κατεμέμφετο.*

II.

Hactenus dixi de argumento, videamus nunc de forma. Quae est sane singularis. Constat enim caput undecimum (de epilogo non loquor) ex triginta periodis non coniunctis inter se ad maiores circuitus, sed adversativis plerumque particulis ita separatis, ut tamquam legis alicuius paragraphi consertae sint. Adhibuit autem has particulas: *δέ* II, VI, VIII, IX, X, XI, XIII, XVI, XIX, XX, XXI, XXII, XXVIII, XXIX, *γε μήν* III, VII, XIV,

XVIII, XXIV, XXV, ἀλλὰ μήν IV, XXIII, καὶ V, XII, XV, XVII, XXVI, καὶ γάρ XXVII; particula caret XXX. Γάρ autem ne in eis quidem enuntiatis legitur, quae praecedentis causam sive confirmationem continent (VI, XVI, XXIX); bis tantum, sed in conclusione sententiarum γοῦν admissum est (XXII^{2} XXVI^{3}).

Atque licet ambigere, utrum V novam periodum incipiat, an ita cum IV coniungenda sint verba καὶ θαρρῶν κτλ., ut ego sensus affinitate motus verba καὶ τὸ μὲν ἀπιστοῦντας κτλ. ad XII, καὶ σοφίαν κτλ. ad XXIII, καὶ πόνοις κτλ. ad XXIV traxi.

Deinde apparet excepta una sententia XXI omnes periodos ita formatas esse, ut aut duo aut bis terve duo membra per adversativas maximam partem particulas sibi opposita contineant. Ad quod adhibuit μὲν .. δέ II, VI, X, XII$^{1.2}$, XV$^{1.2}$, XVII$^{1.2.3}$, XVIII^{2}, XIX, XXVII, XXVIII, XXX, (μέν non praecedente) XIII; οὐκ . . ἀλλά IV, VII, VIII, XVI, XVIII^{1}, XXII^{1}, XXVI$^{1.2}$; ἤ post comparativum I, III, V, XI, XIV^{2}, XX, XXII^{2}, XXIII$^{1.2}$, XXIV^{3}; comparativum sequente genetivo IX^{2}; participio continetur oppositio XXIV$^{1.2}$, XXV, XXVI^{3}. Sola parataxis contrarium efficit XXIX.

Tres autem antitheseon formas invenimus, quarum prima ita comparata est, ut simplicis enuntiati ea pars, quae a verbo pendet — sive hoc sit accusativus sive infinitivus sive ipsum enuntiatum — in duo membra divisa sit. Exemplo sit VII: τῶν γε μὴν φίλων οὐ τοὺς δυνατωτάτους, ἀλλὰ τοὺς προθυμοτάτους μάλιστα ἠσπάζετο; cf. VI, VIII etc. Altera forma duo axiomata, quorum utrumque sui iuris est, sibi opponit, velut IV: ἀλλὰ μὴν καὶ ὁπότε εὐτυχοίη, οὐκ ἀνθρώπων ὑπερεφρόνει, ἀλλὰ θεοῖς χάριν ᾔδει. Tertiae autem hoc est proprium, ut id, quod verbo regenti contrarium est, non pleno axiomate, sed participio contineatur. Tum non dicit πρᾳότατος μὲν ἦν φίλοις, φοβερώτατος δὲ ἐγένετο ἐχθροῖς, sed πρᾳότατος ὢν τοῖς φίλοις τοῖς ἐχθροῖς φοβερώτατος ἦν (XXIV).

Harum autem classium exempla aut per se posita sunt, aut coniuncta duo triave, velut XXIII, ubi particula καὶ interposita cohaerent primae classis duo enuntiata. Aut inest in priore participium, a quo pendet alterum (XIV). Contra ex diversis generibus sumpta et particula καὶ coniuncta habes axiomata duo XII; participio utitur XV. Tria autem cohaerent XVII, primum secundae, alterum tertiumque primae classis, aut additur duobus primae classis exemplis tertium ex tertio genere XXVI. Neque desunt exempla, ubi ex alio enuntiato suspensa sit antithesis (cf. I, II).

Sub finem demum quartae partis quattuor membra coniuncta sunt (XXVII et XXVIII), sed ita ut bina binis respondeant; denique in una extrema sententia, quippe quae constet ex quinque membris, neglecta est lex bipertiendi.

Accuratius haec exposui, ut eluceret non solum certo consilio studioque haud parvo haec omnia ad aequabilitatem esse redacta, sed etiam hoc curasse scriptorem, ne singula nimis inter se congruentia taedium moverent. Certam igitur hoc capite agnoscimus artem, quae aptissima videbatur scriptori, qua praestantis viri ipsum ingenium ita pingeret, ut singulorum factorum narrationem omitteret.

III.

Oritur nunc quaestio, quibusnam ex Graecis scriptoribus haec ars familiaris fuerit. Credo autem neminem oblocuturum esse, si primum in Xenophontis scriptis quaeram, si qua eius artis detegi possint vestigia. Inveniuntur autem tam certa, ut ipsum Xenophontem eam valde amasse non sit dubium. Atque verum est in Hellenicis nos quaesituros esse frustra. Quod non mirum. Nam ut in bello Peloponnesiaco Thucydides, ita Xenophon in eo opere, quo illud continuavit, parcus est de singularibus hominibus iudex. Sed extat Anabasis, paucorum annorum spatium et ipsius scriptoris fata complectens, in qua gravioribus solutus legibus, quibus annalium scriptores coercebantur, liberius evagatur.

Ex hac exscribam ea, quae de Menone (II, 6, 23 sq.) dicit. Praemiserat autem ingenti Menonem auri cupiditate fuisse inflammatum, quam ut expleret honores quaesiisse et potentiam. Deinde legitur

> I. *ἐπὶ δὲ τὸ κατεργάζεσθαι ὧν ἐπιθυμοίη συντομωτάτην ᾤετο ὁδὸν εἶναι διὰ τοῦ ἐπιορκεῖν τε καὶ ψεύδεσθαι καὶ ἐξαπατᾶν, τὸ δ' ἁπλοῦν καὶ τὸ ἀληθὲς τὸ αὐτὸ τῷ ἠλιθίῳ εἶναι.* II. *στέργων δὲ φανερὸς μὲν ἦν οὐδένα, ὅτῳ δὲ φαίη φίλος εἶναι, τούτῳ ἔνδηλος ἐγίγνετο ἐπιβουλεύων.* III. *καὶ πολεμίου μὲν οὐδενὸς κατεγέλα, τῶν δὲ συνόντων πάντων ὡς καταγελῶν ἀεὶ διελέγετο.* IV. *καὶ τοῖς μὲν τῶν πολεμίων κτήμασιν οὐκ ἐπεβούλευε (χαλεπὸν γὰρ ᾤετο εἶναι τὰ τῶν φυλαττομένων λαμβάνειν), τὰ δὲ τῶν φίλων μόνος ᾤετο εἰδέναι ῥᾷστον ὂν ἀφύλακτα λαμβάνειν.* V. *καὶ ὅσους μὲν αἰσθάνοιτο ἐπιόρκους καὶ ἀδίκους ὡς εὖ ὡπλισμένους ἐφοβεῖτο, τοῖς δ' ὁσίοις καὶ ἀλήθειαν ἀσκοῦσιν ὡς ἀνάνδροις ἐπειρᾶτο χρῆσθαι.* VI. *ὥσπερ δέ τις ἀγάλλεται ἐπὶ θεοσεβείᾳ καὶ ἀληθείᾳ καὶ δικαιότητι, οὕτω Μένων ἠγάλλετο τῷ ἐξαπατᾶν δύνασθαι τῷ πλάσασθαι ψευδῆ τῷ φίλους διαγελᾶν, τὸν δὲ μὴ πανοῦργον τῶν ἀπαιδεύτων ἀεὶ ἐνόμιζεν εἶναι.* VII. *καὶ παρ' οἷς μὲν ἐπεχείρει πρωτεύειν φιλίᾳ, διαβάλλων τοὺς πρώτους τούτους ᾤετο δεῖν κτήσασθαι, τὸ δὲ πειθομένους τοὺς στρατιώτας παρέχεσθαι ἐκ τοῦ συναδικεῖν αὐτοῖς ἐμηχανᾶτο, τιμᾶσθαι δὲ καὶ θεραπεύεσθαι ἠξίου ἐπιδεικνύμενος, ὅτι πλεῖστα δύναιτο καὶ ἐθέλοι ἂν ἀδικεῖν.* VIII. *εὐεργεσίαν δὲ κατέλεγεν, ὁπότε τις αὐτοῦ ἀφίσταιτο, ὅτι χρώμενος αὐτῷ οὐκ ἀπώλεσεν αὐτόν.*

Ex eadem has sententias palaestra provenisse, quam Agesilai caput XI, nemo non videt. Sed etiam quo differant patet. I—VII enim plena enuntiata sunt inter se opposita et secundum alteram classem supra descriptam formata, nisi quod sexti prior quoque pars bipertita est et altera septimi. Etiam particularum nulla varietas est, ubique *μὲν* . . *δέ* adhibentur. Itaque aequabilitas sermonis hic molestior est quam in Agesilao, quod fortasse quia sensit Xenophon tres locutiones sibi opposuit VI idemque videtur affectasse in prima sententia.

De tempore autem ex hoc discrimine nihil concluderem, nisi argumenti quoque tractatio Agesilai quam Menonis censuram maturioris artis esse argueret.

Contigit enim in Agesilao Xenophonti, ut in singulis partibus sententia rite procederet, neque, ut antithesis iusta efficeretur, ex aliena materia mutuari coactus est. Unum excipio IV enuntiatum, ubi, ut verbis ἀλλὰ θεοῖς χάριν ᾔδει sit quod e contrario respondeat, parum apte οὐκ ἀνθρώπων ὑπερεφρόνει opponitur. De hominibus enim in hac parte non agitur. Alias autem repetitiones vidimus dispositione excusari.

Quod secus est in Menone. Nam in continua disputatione paragraphorum supra propositarum plura membra sensus aequalitate peccant. Non valet hoc de prioribus singularum antitheseon membris, quae ita procedunt: I. Id, quod sibi proposuerat, periurio mendacia fraude persequebatur. II. neminem amavit. III. nullum hostem ridebat. IV. hostium bonis manum non intulit. V. periuros et iniustos ut bene paratos contra insidias timebat. VI. ut alii deorum reverentia veritate iustitia, sic Meno fraude mendaciis amicorum despectu gloriabatur.

Inter quae I et VI, III et IV et V simillima quidem, tamen non eadem significant. Sed nunc ea perlegas, quae his membris opposita sunt.

I. sincerum et verum ei a stulto non videbatur differre. II. quem sibi dicebat amicum esse, huic aperte insidias struxit. III. de eis, quibus familiariter utebatur, semper contumeliose loquebatur. IV. amicorum bona ut parum munita se optime putabat furari posse. V. sanctis atque veracibus ut ignavis abutebatur. VI. is qui non nefarius erat ei videbatur agrestibus et incultis adnumerandus esse.

Haec minus eleganter inventa esse patet. Nam ut oppositiones rite procederent, in repetitionis vitium incidit. Ut enim I et VI, ita II, IV et V non solum similem, sed eundem sensum continent.

Quae cum ita sint, artificii quo in Agesilao scite et eleganter usus est Xenophon, videtur in Menone primum fecisse experimentum.

Sed vel haec discrimina ab eodem utrumque scriptum esse arguunt. Nam non solum forma eadem est in Agesilai et Menonis censura, sed etiam eadem utitur scriptor cogitandi ratione.

Menonem enim ut hominem perditum depingeret, comparavit et cum bonis et cum malis hominibus cf. I, V, VI. Reliqua autem iudicia (II, III, IV, VII) ut inveniret, usus est simillimo adminiculo: amicos et inimicos opposuit, ut, qualis fuisset Meno, ex eius cum utriusque generis hominibus commercio appareret.

Agesilai autem descriptionem si vel obiter percurres, videbis inventionis subsidia magna ex parte esse eadem. Nam ut de eis locis taceam, ubi aut sive boni sive mali aut sive hostes sive amici commemorantur, opponuntur in Agesilao inter se hostes et amici I, VIII, XII^{12}, XXIV^{12}, XXVIII^{2}, XXIX, boni malique IX^{12}, X, XIII.

Et quoniam quidquid de Agesilao dicitur, laudandi causa pronuntiatum est, vituperandi causa omnia, quae de Menone exposita sunt, utriusque censurae singula membra haud pauca ita respondent, ut idem argumentum in contrarias partes vertant.

Conferas

Meno VII. παρ' οἷς μὲν ἐπεχείρει πρωτεύειν φιλίᾳ, διαβάλλων τοὺς πρώτους τούτους ᾤετο δεῖν κτήσασθαι	Agesilaus XIV. τούς γε μὴν διαβόλους μᾶλλον ἢ τοὺς κλέπτας ἐμίσει, μείζω ζημίαν ἡγούμενος φίλων ἢ χρημάτων στερίσκεσθαι.
II. III. ὅτῳ φαίη φίλος εἶναι, τούτῳ ἔνδηλος ἐγίγνετο ἐπιβουλεύων πολεμίου οὐδενὸς κατεγέλα, τῶν δὲ συνόντων πάντων ὡς καταγελῶν ἀεὶ διελέγετο	XXVII. XXVIII[2]. πρᾳότατος φίλοις ὢν ἐχθροῖς φοβερώτατος ἦν ἐχθροῖς δυσεξαπάτητος φίλοις εὐπαραπειστότατος
IV. τοῖς τῶν πολεμίων κτήμασιν οὐκ ἐπεβούλευε, τὰ δὲ τῶν φίλων μόνος ᾤετο εἰδέναι ῥᾷστον ὂν ἀφύλακτα λαμβάνειν	XXVIIII. ἀεὶ τιθεὶς τὰ τῶν φίλων ἀσφαλῶς, ἀεὶ ἀμαυροῦν τὰ τῶν πολεμίων XII. τοὺς μὲν ὑπὸ φίλων ἐξαπατωμένους οὐκ ἔψεγε, τοὺς δὲ ὑπὸ πολεμίων πάμπαν κατεμέμφετο XXVII. ἐκαλλωπίζετο τῷ . . τοὺς φίλους ὡς πλεῖστα ὠφελεῖν
§ 21. φίλος ἐβούλετο εἶναι τοῖς μέγιστον δυναμένοις V. τοῖς ὁσίοις καὶ ἀλήθειαν ἀσκοῦσιν ὡς ἀνάνδροις ἐπειρᾶτο χρῆσθαι	VII. φίλων οὐ τοὺς δυνατωτάτους, ἀλλὰ τοὺς προθυμοτάτους μάλιστα ἠσπάζετο X ἤσκει χρῆσθαι τοῖς ἀγαθοῖς
VI. ἠγάλλετο .. τῷ φίλους διαγελᾶν	XXVII. ἐκαλλωπίζετο . . τῷ τοὺς φίλους πλεῖστα ὠφελεῖν

Non difficile est plura addere. Sed sufficiant haec. Nam hoc mihi videor demonstrasse Agesilai caput undecimum adeo esse et argumento et forma Xenophonteum, ut si traditum esset anonymum, Xenophontis ei nomen inscribere fere cogeremur.

IV.

Sed etsi certum est scripsisse haec Xenophontem, non sequitur eum primum artem invenisse, qua ibi usus est. Atque iam pridem est observatum Xenophontem Agesilaum laudantem vestigia pressisse Isocratis, quia hic se primum de sui temporis hominibus laudationes scripsisse professus est in Euagora (§ 6).

Atque imitari Xenophontem Isocratem testatur etiam caput undecimum.

Quod ut clarius patescat, exscribam ex Euagora Isocratis § 43—46, ubi de regis Cyprii moribus in universum disputatur

I[1] ἅπαντα γὰρ τὸν χρόνον διετέλεσεν οὐδένα μὲν ἀδικῶν, τοὺς δὲ χρηστοὺς τιμῶν (I[2]) καὶ σφόδρα μὲν ἁπάντων ἄρχων, νομίμως δὲ τοὺς ἐξαμαρ-

τάνοντας κολάζων· II οὐδὲν μὲν συμβούλων δεόμενος, ὅμως δὲ τοῖς φίλοις συμβουλευόμενος· III πολλὰ μὲν τῶν χρωμένων ἡττώμενος, ἅπαντα δὲ τῶν ἐχθρῶν περιγιγνόμενος· IV σεμνὸς ὢν οὐ ταῖς τοῦ προσώπου συναγωγαῖς, ἀλλὰ ταῖς τοῦ βίου κατασκευαῖς· V οὐδὲ πρὸς ἓν ἀτάκτως οὐδ᾽ ἀνωμάλως διακείμενος, ἀλλ᾽ ὁμοίως τὰς ἐν τοῖς ἔργοις ὁμολογίας ὥσπερ τὰς ἐν τοῖς λόγοις διαφυλάττων· VI μέγα φρονῶν οὐκ ἐπὶ τοῖς διὰ τύχην, ἀλλ᾽ ἐπὶ τοῖς δι᾽ αὑτὸν γιγνομένοις· VII τοὺς μὲν φίλους ταῖς εὐεργεσίαις ὑφ᾽ αὑτῷ ποιούμενος, τοὺς δὲ ἄλλους τῇ μεγαλοψυχίᾳ καταδουλούμενος· VIII φοβερὸς ὢν οὐ τῷ πολλοῖς χαλεπαίνειν, ἀλλὰ τῷ πολὺ τὴν τῶν ἄλλων φύσιν ὑπερβάλλειν· IX ἡγούμενος τῶν ἡδονῶν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀγόμενος ὑπ᾽ αὐτῶν· X ὀλίγοις πόνοις πολλὰς ῥᾳστώνας κτώμενος, ἀλλ᾽ οὐ διὰ μικρὰς ῥᾳθυμίας μεγάλους πόνους ὑπολειπόμενος· XI ὅλως οὐδὲν παραλείπων ὧν προσεῖναι δεῖ τοῖς βασιλεῦσιν, ἀλλ᾽ ἐξ ἑκάστης τῆς πολιτείας ἐξειλεγμένος τὸ βέλτιστον, καὶ δημοτικὸς μὲν ὢν τῇ τοῦ πλήθους θεραπείᾳ, πολιτικὸς δὲ τῇ τῆς πόλεως ὅλης διοικήσει, στρατηγικὸς δὲ τῇ πρὸς τοὺς κινδύνους εὐβουλίᾳ, τυραννικὸς [Vulg., μεγαλόφρων Urb.] δὲ τῷ πᾶσι τούτοις διαφέρειν.

Rursus exordiamur a forma, quam apparet magis affinem esse Menoni Anabaseos, quam Agesilao. Enuntiata enim, quae secundum alterius classis (cf. p. 9) plerumque normam composita sunt, ut artiore vinculo cohaereant similioresque sint, a verbo διετέλεσεν voluit suspensa esse omnia. Particulae in opponendo adhibitae sunt aut μὲν — δέ aut οὐ — ἀλλά. Videtur igitur non taedio fuisse Isocrati, sed deliciis aequabilitas, cuius studium etiam in singulorum membrorum structura apertum est et quae solvitur in fine demum descriptionis. Hoc autem et in Menone et in Agesilao observavimus. In illius enim conclusione vidimus tria membra voculis cohaerere μέν . . δέ . . δέ [1]), in huius quinque coniuncta esse per μὲν . . δὲ . . δὲ . . δὲ . . γε μήν; idem in extrema parte loci Isocratei deprehendimus, ubi μέν . . excipiunt δὲ . . δὲ . . δέ.

Sed nunc argumentum videamus, quod conducet hac tabula proponere

I[1]. nemini iniuriam inferebat	strenue regnabat
I[2]. bonos honorabat	noxios iuste castigabat
II. consiliantibus non indigebat	amicos consultabat
III. suis cedebat	inimicos opprimebat
IV. non ore	moribus gravis erat
V. in nullo officio rationem neglegebat et disciplinam	facta eius cum dictis concinebant
VI. non eis quae casu ei obtigerant	gloriabatur eis quae virtute sibi paraverat
VII. amicos beneficiis	omnes animi magnitudine sibi deviinciebat
VIII. non propter iracundiam	propter naturae dignitatem metuebatur

[1]) Accedit in Menone enuntiatum VIII non bipertitum.

IX. voluptatibus moderabatur	non succumbebat
X. paucis laboribus multa commoda lucrabatur	non paucis commodis multos labores sibi pariebat
XI. regalium officiorum nullum neglegebat	ex omni civitate optima quaeque eligebat

popularis erat *(δημοτικός)* populi procuratione — politicus rei publicae administratione — imperatorius periculorum cura et providentia — regius [*vulgatam sequor*] quia omnibus illis virtutibus prae ceteris pollebat.

Atque quattuor extrema membra undecimae antithesi adnexa forma tantum, non re sibi opposita sunt. Undecim autem quae praecedunt sententiae bipertitae haud mediocri cum subtilitate excogitatae sunt. Nam sive priorum sive posteriorum membrorum seriem perlegimus, haerebimus nusquam, quia iterationes desunt, quae in Menonis censura molestae erant. Sed vel talia evitavit, qualia in Agesilao monui, ubi (IV) *ἀνθρώπους* non argumenti sed explendae periodi necessitati debetur, vel XIV[1], quae non tam oppositio est, quam amplificatio. Oderat nempe etiam fures Agesilaus.

Et sine repetitionibus procedunt membra Isocratea et verae ubique sunt antitheses. Quas aut ita formavit, ut ea componeret, quae quasi diversis locis licuerat observare, etsi ad eandem originem sint referenda ut III, IV alia; aut negatione contrarii illustratur notio; cuius rationis bellum exemplum habes X. Denique etiam generali notioni opponitur particularis, ut XI.

Arte igitur praestat Isocrates. Quod nolim ita intellegatur, quasi mihi minus placeat Xenophon. Immo dum summopere delector veraci Agesilai descriptione ex vita hausta atque consuetudine regis, taedium movet lucubrata Isocratis declamatio scholam redolens et oleum.

Igitur hoc est commune Xenophonti cum multis Isocrate potioribus, ut aridum rhetoris ingenium veneretur eiusque praecepta diligenter imitetur. Quod non solum formae, de qua vidimus, sed etiam argumenti congruentia demonstrat.

Hic enim memineris velim, quae dixi de Xenophontis bonorum cum malis, amicorum cum hostibus comparatione. Nunc vides etiam hoc eum debere Isocrati. Nam ille sententia III familiares et inimicos Euagorae componit. Item II et VII quo animo fuerit ergo amicos legimus, ubi oppositi sunt non tam hostes quam *οἱ ἄλλοι* i. e. ei, qui non familiares sunt. Nec desunt mali bonique: prodeunt *οἱ χρηστοί* I [1], *οἱ ἐξαμαρτάνοντες* I [2], ut quo animo erga eos rex fuerit demonstrent.

Accedunt singulares sententiae Isocratis Xenophontearum tam similes, ut ab eodem videantur esse scriptae.

Euagoras III. *πολλὰ μὲν τῶν χρωμένων ἡττώμενος, ἅπαντα δὲ τῶν ἐχθρῶν περιγιγνόμενος*	Agesilaus XXIV[2]. *ἑταίροις ἥδιστα ὑπεῖκε* XXIV[1]. *ἐχθροῖς φοβερώτατος ἦν* XXX. *οἱ χρώμενοι ἐκάλουν αὐτὸν ἀπροφάσιστον*
IV. *σεμνὸς οὐ ταῖς τοῦ προσώπου συναγωγαῖς, ἀλλὰ ταῖς τοῦ βίου κατασκευαῖς*	XXVI. *τὸ εὔχαρι οὐ σκώμμασιν, ἀλλὰ τρόπῳ ἐπετήδευε*

VI. μέγα φρονῶν οὐκ ἐπὶ τοῖς διὰ τύχην, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς δι' αὑτὸν γιγνομένοις

I. διετέλεσεν οὐδένα μὲν ἀδικῶν, τοὺς δὲ χρηστοὺς τιμῶν

XXI. δόξης οὐδεμιᾶς ἤρα, ἧς οὐκ ἐξεπόνει τὰ ἴδια

X. ἤσκει ἐξομιλεῖν παντοδαποῖς, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἀγαθοῖς

Iam vero Agesilaus mortuus est anno a. Chr. n. 361 paulloque post edita laudatio. Quo tempore aut Anabasis aut Euagoras prodierint non constat. Euagorae enim laudationis annum natalem viri docti intra annos 372 et 352 quaerunt, Anabasim, quae certe post annum 400 scripta est, E. Schwartz, qui nuperrime de Xenophonteorum scriptorum tempore docte egit, negat ante annum 369 editam esse. Itaque Menonis et Agesilai descriptiones ab ipsius Euagorae §§ 43—46 pendere propter temporum rationes negari nequit.

Tamen ut ita censeamus Isocrateo charactere illarum descriptionum non cogimur. Nam in aliis quoque Isocratis libris plane eadem ratione iudicatur de hominum moribus.

Ita prorsus congruit cum laudibus Euagorae id, quod de Theseo praedicatur in Helena. Exemplo sit § 37: *καὶ γάρ τοι διετέλεσε τὸν βίον οὐκ ἐπιβουλευόμενος, ἀλλ' ἀγαπώμενος, οὐδ' ἐπακτῷ δυνάμει τὴν ἀρχὴν διαφυλάττων, ἀλλὰ τῇ τῶν πολιτῶν εὐνοίᾳ δορυφορούμενος, τῇ μὲν ἐξουσίᾳ τυραννῶν, ταῖς δὲ εὐεργεσίαις δημαγωγῶν.* Patet ni fallor has antitheses gemellas esse Euagorearum; sed Xenophontis quoque Agesilai sponte surgit recordatio, si Helenae, quae praecedunt, legimus:

§ 36. οὐ γὰρ ὥσπερ ἕτεροι τοὺς μὲν πόνους ἄλλοις προσέταττε, τῶν δὲ ἡδονῶν αὐτὸς μόνος ἀπέλαυεν, ἀλλὰ τοὺς μὲν κινδύνους ἰδίους ἐποιεῖτο, τὰς δὲ ὠφελείας ἅπασιν εἰς τὸ κοινὸν ἀπεδίδου.

Agesilaus XXIV². πόνους μάλιστα ἀντέχων ἑταίροις ἥδιστα ὑπεῖκε

XXI. οὐδεμιᾶς δόξης ἤρα, ἧς οὐκ ἐξεπόνει τὰ ἴδια.

Sed enim in hac arte, qua per contraria homines describuntur, etiam alium discipulum praeter Xenophontem licet ostendere, si quidem iure viri docti Praecepta ad Demonicum ab ipso Isocrate provenisse negant, quod mihi quidem certum esse fateor. Nam ubi gnomologiae huius auctor de patre eius loquitur, cui librum dedicavit, haec dicit § 9:

> I. *οὐ γὰρ ὀλιγωρῶν τῆς ἀρετῆς οὐδὲ ῥαθυμῶν διετέλεσε τὸν βίον, ἀλλὰ τὸ μὲν σῶμα τοῖς πόνοις ἐγύμναζε, τῇ δὲ ψυχῇ τοὺς κινδύνους ὑπέμενεν.* II. *οὐδὲ τὸν πλοῦτον παρακαίρως ἠγάπα, ἀλλ' ἀπέλαυε μὲν τῶν παρόντων ἀγαθῶν ὡς θνητός, ἐπεμελεῖτο δὲ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἀθάνατος.* III¹. *οὐδὲ ταπεινῶς διῴκει τὸν ἑαυτοῦ βίον, ἀλλὰ φιλόκαλος ἦν καὶ μεγαλοπρεπὴς καὶ τοῖς φίλοις κοινός,* (III²) *καὶ μᾶλλον ἐθαύμαζε τοὺς περὶ αὐτὸν σπουδάζοντας, ἢ τοὺς τῷ γένει προσήκοντας·* IV. *ἡγεῖτο γὰρ εἶναι πρὸς ἑταιρίαν πολλῷ κρείττω φύσιν νόμου καὶ τρόπον γένους καὶ προαίρεσιν ἀνάγκης.*

Ne admonitus quidem Isocratis in solito argumento artificium hic cognosces, sed Xenophontis more liberius adhibitum. Nam ut in Menonis sententia V bipertita prius membrum

rursus subdivisum est, ita hic in sententiis II et III altera membra sunt bipertita. Et ut in Menonis sententia I et VI, ita hic in III et IV ternae locutiones comprehensae sunt. Discipulum legis scilicet, non magistrum.

Ex quibus omnibus consectarium est Xenophontem in iudiciis, quae de Menone et Agesilao scripsit, non a certa aliqua Isocratis scriptione, sed ex disciplina pendere Isocratea.

V.

Eo perveni quo volueram. Nam demonstrasse mihi videor Agesilai caput undecimum neque dispositione carere et sine dubio conscriptum esse a Xenophonte.

Sed scio contra eius originem Xenophonteam etiam hac argumentatione pugnari: totum aiunt extremum caput supervacaneum esse, quia inde a capite tertio de eisdem rebus disputaverit scriptor, quae undecimo molestissime iterentur. Qua re quid valeat haec argumentatio breviter examinemus.

Atque verum est Xenophontem postquam manifestas res ab Agesilao gestas (c. I—II) narravit, transire ad eius virtutes laudandas c. III: *καὶ ταῦτα μὲν δὴ εἴρηται ὅσα τῶν ἐκείνου ἔργων μετὰ πλείστων μαρτύρων ἐπράχθη . . νῦν δὲ τὴν ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ ἀρετὴν πειράσομαι δηλοῦν.* Primum autem de fide Agesilai atque pietate agit capite tertio, quarto eum a lucri cupiditate, quinto ab omni libidine alienum fuisse exponit. De fortitudine Agesilai et prudentia capite sexto disputat, septimo demonstrat non solum Lacedaemona eum amasse sed totam Graeciam, odisse autem Persas. Comitatem regis gravitatem victus modestiam octavum laudat et nonum. Atque ita claudit hanc partem decimum, ut Agesilaum exponat recte vivendi exemplum proposuisse hominibus: qua re non decere de morte eius queri sed laudare potius non interituram egregii viri memoriam.

Quae cum ita sint, caecutirem equidem, si capite XI similia tractari negarem.

Nam prima eius pars (I—VI) respondet capiti tertio et si exceperis unum caput septimum, omnes virtutes, quae cc. III—IX laudantur, tanguntur etiam in undecimo.

At primum non casu factum est, quod unum argumentum septimi capitis in undecimo est neglectum. In illo enim, quo animo fuerit Agesilaus erga Lacedaemonios Graecos Persas narraverat. Huius autem rei in undecimo capite non potuit mentionem facere scriptor, quia legem hic sibi posuerat, ut de historia prorsus taceret.

De reliquis autem Agesilai virtutibus, quae tractantur cc. III—VI, VIII IX, poterat duplici ratione agere. Poterat enim aut fusius de eis disserere easque relatis singulis factis confirmare aut sine ulla rerum gestarum commemoratione ex intima hominis natura breviter definire.

Atque illud consilium est mediae (III—IX), hoc extremae (XI) partis.

Nam si illam examines ubique invenies exemplis uti scriptorem e vita ductis. Conferas enim, quod c. III de Spiridate Cotye Pharnabazo, ut fides Agesilai probetur, sive quae c. IV de Agide et Tithrauste, ut innocentia eius clarescat, narrantur. De abstinentia eius relegamur

ad Megabatis historiolam c. V., c. VIII—IX de legato Persico Calliam Lacedaemonium prosequente, de filia Agesilai, de Cynisca eius sorore refertur. Ea autem, quae c. VI de imperatore et forti et prudente dicta sunt, etsi ipsa nomina ex historia sumpta desunt, bellorum tamen, quae gesserit, memoriam accuratissime repraesentant.

Inserta autem sunt haec exempla copiosae de rebus demonstrandis argumentationi. Perlegas enim, quae ego exempli causa ex hac media parte petita profero haec: III, 2: *ὅπως δὲ μή τις ἀπιστῇ, . . βούλομαι* IV, 1: . . *πολλοὶ πολλὰ ὡμολόγουν* 3. *πῇ ἂν τις αὐτὸν εἰκότως αἰτιάσαιτο* . . ib: *τὸ δ'* . . . *οὐ καὶ τοῦτο μέγα τεκμήριον* 5: *ὅστις δ' ᾑρεῖτο* (de Agesilao dictum) *πῶς οὗτος οὐκ ἂν* . . V, 1: *ποίας (ἡδονῆς) οἶδέ τις Ἀγησίλαον ἡττηθέντα* 3: *ὡς δὲ συνελόντι εἰπεῖν, Ἀγησίλαος* . . 6: *ὅτι μὲν δὴ ὑπολαμβάνουσί τινες* . ., *οὐκ ἀγνοῶ· ἐγὼ μέντοι* VI,1: . . *τεκμήριά μοι δοκεῖ παρασχέσθαι, ὑφιστάμενος* . . VII, 1. *οἶομαι γὰρ οὐδὲν εἶναι τῶν πεπραγμένων αὐτῷ, ὅτι οὐκ εἰς τοῦτο συντείνει* . . *ὡς δὲ ἐν βραχεῖ εἰπεῖν πάντες ἐπιστάμεθα* VIII,1: *ἀλλὰ μὲν ἄξιον* . . *καὶ* . . *μὴ σιωπᾶσθαι.* 4: *ἐγὼ καὶ τοῦτο ἐπαινῶ* . . *ἄγαμαι δὲ κακεῖνο* . . 5: *ἐπαινῶ δὲ κἀκεῖνο* 6: *ἐκεῖνό γε μὴν* . . *τίς οὐκ ἂν ἀγασθαίη* etc.

Vides scriptorem libere exspatiantem, disputantem et contra adversarios suas opiniones defendentem. Persuadere vult suaque commendare.

Prorsus alio consilio caput undecimum scriptum est. Exempla desunt et ratiocinatio. Non scriptor, res loquitur. Non disputatur et persuadetur, praecipitur velut ex tripode. Sentis alia hic agere scriptorem atque in media parte.

Iam vero ea est harum partium condicio, ut easdem sententias non potuerit non iterare scriptor; quarum accuratiore enumeratione nolo taedium movere legentibus. Nam vel ex paucis exemplis studium Xenophontis in iteratione intellegitur locutiones variandi. Tale est, quale adhibetur ab eo, qui se de eadem re bis loqui probe conscius est.

	caput XI.
IV,2. *Ἀγησίλαος δὲ οὐ μόνον τὸ μὴ ἀποδιδόναι χάριτας ἄδικον ἔκρινεν, ἀλλὰ καὶ τὸ μὴ πολὺ μείζους τὸν μείζω δυνάμενον*	XVIII. *χρήμασί γε μὴν οὐ μόνον δικαίως ἀλλὰ καὶ ἐλευθερίως ἐχρῆτο, τῷ μὲν δικαίῳ ἀρκεῖν ἡγούμενος τὸ ἐᾶν τὰ ἀλλότρια, τῷ δ' ἐλευθερίῳ καὶ τῶν ἑαυτοῦ προσωφελητέον εἶναι*
V,3. *πονῶν ἠγάλλετο, ῥᾳστώνην δὲ πάμπαν οὐ προσίετο*	XXII. *ἐδόκει οὐ καρτερίαν τὴν ἀρετήν, ἀλλ' εὐπάθειαν νομίζειν*
	XXIV [2]. *πόνοις μάλιστα ἀντέχων*
VI,8. *τοῖς μὲν πολεμίοις δεινὸς ἦν, τοῖς δὲ φίλοις θάρρος καὶ ῥώμην ἐνεποίει*	XXIV [1]. *πρᾳότατός γε μὴν τοῖς φίλοις ὢν ἐχθροῖς φοβερώτατος ἦν*
VIII. *ἀλλὰ μὴν ἄξιον καὶ τὸ εὔχαρι μὴ σιωπᾶσθαι· ᾧ γε ὑπαρχούσης μὲν τιμῆς παρούσης δὲ δυνάμεως, πρὸς δὲ τούτοις*	XXVI. *καὶ τὸ εὔχαρι οὐ σκώμμασιν, ἀλλὰ τρόπῳ ἐπετήδευε καὶ τῷ μεγαλόφρονι οὐ σὺν ὕβρει, ἀλλὰ σὺν γνώμῃ ἐχρῆτο·*

βασιλείας καὶ ταύτης οὐκ ἐπεβουλευομένης, ἀλλ' ἀγαπωμένης, τὸ μὲν μεγάλαυχον οὐκ ἂν εἶδέ τις, τὸ δὲ φιλόστοργον καὶ θεραπευτικὸν τῶν φίλων καὶ μὴ ζητῶν κατενόησεν ἄν.

τῶν γοῦν ὑπεραύχων καταφρονῶν τῶν μετρίων ταπεινότερος ἦν.

Non solum variationis studium haec exempla probant, sed iterum vides, quantopere omnia, quae praecesserant, in XI capite in brevius contracta sint et in generalius.

Quae cum ita sint, iniuria mihi videtur ex media parte pugnari contra extremam. Immo sustinet altera alteram et supplet. Versamur enim in initiis eius artis, qua clarorum virorum memoriam veteres litteris retinere studebant, nec quaeritur, utrum nobis placeat necne, sed quaenam fuerit.

Percipimus autem et qua in re pendeat ab Isocrate Xenophon et quo differat. Ille enim promiscue Euagorae modo res gestas narraverat modo narratis usus copiose de meritis disputaverat. Solum ubi de regiis eius virtutibus egit, suo ille artificio usus est, cui in Menonis et Agesilai censura se adplicavit Xenophon.

Xenophon autem tria haec laudandi rationes ita separavit, ut diversae libelli partes inde exsisterent. Prima enim narrat (I—II); altera exemplis usus disputat (III – X); extremam autem (XI) voluit antecedentis laudationis quasi summarium esse et subtiliore arte expolitum quasi flores decerpere.

Itaque in initio huius extremi capitis libere fatetur se nunc velle priora ita breviter repetere, ut virtutes Agesilai, de quibus copiose hactenus disputaverat, summatim nunc comprehendat: *Βούλομαι δὲ καὶ ἐν κεφαλαίοις ἐπανελθεῖν τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ.* Simul autem causam addit, cur haec faciat: *ὡς ἂν ὁ ἔπαινος εὐμνημονεστέρως ἔχῃ.* Quae verba cur tam misere vexata sint a viris doctis non intellego. Sunt enim apertissima. Nimirum vir utilitatis ubique studiosissimus etiam sermonis elegantias, quibus delectabatur, noluit ludos putari iocosque fructus expertes.

Qua re ad extremam partem ubi transit, describendi genus, quo nunc usurus est, utpote utilissimum eis commendat, qui dilectissimi viri indolem quam brevissime velint percipere et quam firmissime retinere.

VI.

Sed iure nunc quaerent, qui quaestiones adhuc tractatas mecum reputaverunt. num haec unica Isocratei characteris specimina in Xenophontis scriptis extent. In Anabasi certe, in qua praeter Menonis aliorum quoque hominum mores haud raro recenseantur, latere talia veri non est dissimile.

Atque primum de vita moribus regimine Cyri copiosa disputatio (I, 9) et Clearchi censura obvenit (II, 6, 1—15). Sed enim illa potius mediae Agesilai parti similis est, non

extremae; haec autem singulari quidem charactere condita, eo tamen alieno ab undecimo Agesilai capite. Nam Clearchi primum vitam accurate narrat Xenophon, ut belli eum fuisse amantem comprobet, deinde singulares eius militares virtutes deinceps et ponderat et argumentis confirmat.

Sed sequitur Proxeni censura (II, 6, 16—20), in qua tandem post brevem narrationem (§ 16—17) ecce Isocrateae artis vestigia manibus tenemus apertissima, membrorum dico aequilibrium et quaesitam sententiarum responsionem. Conferas e. gr.

> *καὶ φοβούμενος μᾶλλον ἦν φανερὸς τὸ ἀπεχθάνεσθαι τοῖς στρατιώταις ἢ οἱ στρατιῶται τὸ ἀπιστεῖν ἐκείνῳ. ᾤετο δὲ ἀρκεῖν πρὸς τὸ ἀρχικὸν εἶναι καὶ δοκεῖν τὸν μὲν καλῶς ποιοῦντα ἐπαινεῖν, τὸν δὲ ἀδικοῦντα μὴ ἐπαινεῖν. τοιγαροῦν αὐτῷ οἱ μὲν καλοί τε κἀγαθοὶ τῶν συνόντων εὔνοι ἦσαν, οἱ δὲ ἄδικοι ἐπεβούλευον ὡς εὐμεταχειρίστῳ ὄντι.*

Proxeni autem censuram excipit Menonis illa (II, 6, 21—29), de qua supra vidimus. Utuntur igitur haec duo iudicia eadem forma. Nam in hoc quoque media tantum pars Isocrateo more formata est. Adhaerent ei et initium et conclusio diversi characteris (cf. § 21. 28. 29).

Quod cur ita sit, ex ipsa artificii natura intellegitur, cui, quia ad iudicandum, non ad narrandum inventum est, accedant oportet aliae orationis partes, in quibus facta exponantur, quae illo recenseantur.

Unde denuo apparet etiam Agesilai conclusionem seorsum scriptam esse non posse, sed, ut membrum corpori adhaeret, ita unum esse cum antecedentibus libelli partibus.

Iam vero etiam de Hellenicis breviter dicendum est. In quibus parcum esse monui Xenophontem hominum iudicem. Immo ea est illorum librorum ratio, ut ne admittant quidem tales morum delineationes, quales in Anabasi et in Agesilao leguntur. In his enim libris id sibi proposuit scriptor, ut totam defuncti viri praestantioris vitam recenseret eiusque quasi summam conficeret. Neque historiam curans neque res, quas ille perpetraverit, actiones omnino non explicat, sed agendi modum vel rationem; neque ibi id studet, ut, quae gesserit, certiores fiamus, sed cur gesserit ea, quae scilicet aliunde nota esse praesumit.

Huic scribendi rationi plane contraria utitur Xenophon in Hellenicorum libris: in quibus nullius viri plenam absolutamque imaginem nobis proposuit adeo ut vel in eis locis, ubi de primoribus hominibus verba facit, nihil aliud agat, quam ut historiae nexum explicet: hanc enarrat, virorum quisquis sit fata neglegens. Atque sciens ita scripsit et consulto; legem enim hanc eum sibi imposuisse non excogitavi ego, sed ipse Xenophon verbis disertis fatetur. Ubi enim, qua gratia apud milites floruerit Teleutias, solito accuratius descripserat, haec addit (V, 1, 4):

> *γιγνώσκω μὲν οὖν, ὅτι ἐν τούτοις οὔτε δαπάνημα οὔτε κίνδυνον οὔτε μηχάνημα ἀξιόλογον διηγοῦμαι· ἀλλὰ ναὶ μὰ Δία τόδε ἄξιόν μοι δοκεῖ εἶναι*

ἀνδρὶ ἐννοεῖν, τί ποτε ποιῶν ὁ Τελευτίας οὕτω διέθηκε τοὺς ἀρχομένους· τοῦτο γὰρ ἤδη πολλῶν χρημάτων καὶ κινδύνων ἀξιολογώτερον ἀνδρὸς ἔργον ἐστίν.

Vides Xenophontem postquam Teleutiae morum suavitatem pluribus descripsit, sentire se peccasse. Qua re ipse se excusat illis verbis.

Itaque nihil est, quod miremur ne eorum quidem hominum, qui illo tempore gravissimas partes egerant, naturam accuratius ab eo describi. Perlegas eas paginas in quibus de Iphicrate et Epaminonda (VI, 2, 27—32. 39. VII, 5, 8 sq. 18—19) insolita verbositate exposuit: non hominem haec spectant, sed militem (nempe quia studiis rei militaris summopere est deditus, modum excedit), et artissime se adplicant ad res gestas, de quibus modo rettulerat. Quale autem fuerit ingenium illorum, qualis vita domestica moresque, frustra quaereres.

En causam habes, cur ne Agesilai quidem, licet huius temporis praestantissimus vir fuisse scriptori visus sit, in Historia graeca indolem depinxerit Xenophon.

At vero una sane extat in Hellenicis explicatior hominis descriptio, quae tamen, etsi propius abest ab Anabaseos et Agesilai librorum consuetudine, abstinentiam illam ceteroquin observatam non violat. De Iasone loquor Thessalorum principe. Inest enim eius descriptio in ea parte operis, quam digressionem esse Xenophon aperte confitetur (cf. VI, 1, 19: *ἐγὼ δὲ πάλιν ἐπάνειμι, ὅθεν εἰς τὰς περὶ Ἰάσονος πράξεις ἐξέβην)*, deinde non Xenophon ibi loquitur, sed inserta est orationi Polydamae Pharsalii. Itaque legibus, quas in narrando sequitur scriptor, exemptae sunt paragraphi Iasoni deditae VI, 1, 6 et 15.

Similes eas esse Agesilai capiti undecimo dixi. Tamen non sunt plane eiusdem artis fetus. Qua re si Isocrateae artis in reliquis Hellenicorum partibus ne minima quidem inveniuntur vestigia, in Iasonis descriptione adsunt quidem, sed tecta et parvola. Nam quia de vivo Iasone ibi loquitur Polydamas eiusque quasi agentis auditoribus effigiem repraesentaturus est, non potuit eam ea arte expolire, quae ad defunctorum potissimum mores describendos inventa erat. Sed vestigia non deesse senties, si haec leges *οὓς μὲν ἂν μαλακοὺς τῶν ξένων αἰσθάνηται, ἐκβάλλει, οὓς δ' ἂν ὁρᾷ φιλοπόνως καὶ φιλοκινδύνως ἔχοντας πρὸς τοὺς πολέμους, τιμᾷ, τοὺς μὲν διμοιρίαις τοὺς δὲ τριμοιρίαις τοὺς δὲ καὶ τετραμοιρίαις κτλ.*

Iam vero in Hellenicis haud ita raro personis, sive primum in scenam prodeunt sive decedunt sive ad graviora se accingunt, brevissimae adnotationes eo consilio adfixae leguntur, ut de indole earum in universum admoniti sint legentes. Talia dico ut IV, 1, 21: *ὁ Ἡριππίδας ἐπιθυμῶν λαμπρόν τι ἐργάσασθαι* 3, 2: *ὁ δὲ ἄσμενος (Δερκυλλίδας) ἀκούσας — καὶ γὰρ ἀεὶ φιλαπόδημος ἦν* 8, 31: *καὶ Θρασύβουλος μὲν δὴ μάλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι οὕτως ἐτελεύτησεν* V, 4, 65: *Νικόλοχον μάλα θρασὺν ἄνδρα* cf. VI, 2, 39. 3, 7. Docemur ita aut quo animo fuerit aliquis certo temporis momento aut qualis fuerit aut qualis aliis esse visus sit. Atque haec brevissima sunt. Accedit autem interdum secundum tertiumve membrum *καί* particula additum, ut V, 4, 25: *Κλεώνυμος, ἡλικίαν τε ἔχων τὴν ἄρτι ἐκ παίδων καὶ ἅμα κάλλιστός τε καὶ εὐδοκιμώτατος τῶν ἡλίκων.* VII, 1, 23: *Λυκομήδης γένει τε οὐδενὸς ἐνδεὴς χρήμασί τε προσήκων καὶ ἄλλως φιλότιμος.* Sed alia etiam eiusmodi exempla sunt, quae

Xenophonti magis videntur placuisse. Quibus hoc est commune, ut ipsa oppositione membrorum formata sint.

VI, 3, 3: (de Callia daducho): *ἦν δὲ οὗτος οἷος μηδὲν ἧττον ἥδεσθαι ὑφ' αὑτοῦ ἢ ὑπ' ἄλλων ἐπαινούμενος.*

III, 4, 29: *Πείσανδρον, φιλότιμον μὲν καὶ ἐρρωμένον τὴν ψυχήν, ἀπειρότερον δὲ τοῦ παρασκευάζεσθαι.*

V, 2, 28: (de Phoebida) *καὶ γὰρ ἦν τοῦ λαμπρόν τι ποιῆσαι πολὺ μᾶλλον ἢ τοῦ ζῆν ἐραστής, οὐ μέντοι λογιστικός γε οὐδὲ πάνυ φρόνιμος ἐδόκει εἶναι.*

Praeterea conferas III, 1, 18. 3, 5. IV, 8, 18 et notam qua ceteris explicatius inducitur Diphridas IV, 8, 22: *ἦν δὲ οὗτος ἀνὴρ εὔχαρίς τε οὐχ ἧττον τοῦ Θίβρωνος μᾶλλόν τε συντεταγμένος καὶ ἐγχειρητικώτερος στρατηγός· οὐδὲ γὰρ ἐκράτουν αὐτοῦ αἱ τοῦ σώματος ἡδοναί, ἀλλ' ἀεὶ πρὸς ᾧ εἴη ἔργῳ τοῦτο ἔπραττεν.*

Hos postremos locos si perlegimus, sponte nobis in mentem incidit recordatio antitheseon, quibus Anabaseos et Agesilai iudicia distincta erant. Itaque eius artis, cuius perfecta absolutaque illic nitent exempla, hic quasi rudimenta quaedam tenemus.

Sed ad finem propero, etsi multa sunt, quae ad continuandam hanc disputationem invitent. Prae ceteris autem an descriptiones Isocrateae ipsae quoque a Gorgia pendeant et quaenam sit inter Thucydidem et Xenophontem in his rebus necessitudo, quaerere distuli et in aliam occasionem reservavi.